

Respondetur secundo, fidem petentium impetrare quidem aliis sanitatem mentis et corporis, sed de congruo, seu ex Dei clementia, non de condigno, seu ex justitia; deinde, sanitatem mentis non nisi dispositive, hoc est, impetrare eis dispositionem ad recipiendam animæ salutem, fidem, pœnitentiam, etc. ipsis nimirum cooperantibus; sanitatem vero corporis obtinere aliis, etiam ipsis nihil cooperantibus.

V. Quomodo concludit Christus dimittere se posse peccata ex potestate sanandi? Respondetur primo, Christum ex visibili miraculo (sanationis paralytici) voluisse ostendere, se habere potestatem invisibilem dimittendi peccata, quod licet secundum se majus sit, minus tamen videtur hominibus, quia non videtur. Prioris enim miraculi effectus sub sensum cadit, hic non item. Sic dicimus facilius esse loqui de excentricis vel stellarum numero, materia, magnitudine, distantia, operatione, etc. quam de iis, quæ circa nos sunt: non quod horum scientia sit difficilior, sed quod facilius possit redargui erroris. Ita ergo sanare paralyticum secundum se minus erat, quam remittere peccata, sed tamen majus quid videbatur: quia hoc sensibus erat subjectum: illud non item. Quare si hæc duo opera considerantur respectu Dei, paria sunt; quia Deo utrumque est æque facile. Si secundum se, majus est remittere peccata, quia hoc superioris ordinis (sicut gratia nobilior est natura) et quia hoc habet in homine resistantiam; illud non habet; si denique secundum nos, seu cognitionem nostram, majus quid est sanare paralyticum, quam dimittere peccata.

Respondetur secundo, forte aptius, Christum non comparare hæc duo inter se, sed dicere velle: Hæc duo dimittere peccata et sanare paralyticum, Deo æque possible, homini vero æque impossibilia sunt, adeoque utrumque divinæ et plusquam humanæ virtutis est. Ergo si unum fecero in confirmationem alterius, quod nimirum habeam potestatem divinam dimittendi peccata, utique credendum est me habere potestatem faciendi et alterum: (nequeunt enim fieri miracula ad confirmationem falsi dogmatis:) adeoque non blasphemare, sed habere potestatem divinam remittendi peccata. Remittere peccata Deo soli competit, tamquam primæ et independenti causæ; Christo vero auctoritative ob intrinsicam unionem divinitatis, necnon meritorie; sacerdotibus tamquam Christi ministris et mere gratiis.

VI. Quare jubet sanatum tollere grabbatum suum? Respondetur primo, in confirmationem

sanitatis vere et integre recuperatæ; siquidem is lectum jam portaret, a quo prius portabatur.

Secundo, in confirmatione effectus remissionis peccatorum, quod nimirum vere et integre remittantur, non autem tegantur solum, uti volunt hæretici.

VII. Quis effectus consecutus est hoc miraculum? Respondetur triplex. Timuerunt turbæ, admiratæ sunt, (secundum Marcum et Lucam) glorificabant Deum.

Timuerunt ob præsentiam superioris et divinæ virtutis; admiranda enim Dei opera, scelestis præsertim hominibus, incutiunt timorem, ne ob sua scelera a Deo puniantur: admiratæ sunt ob rei novitatem et sublimitatem, quod nimirum homo possit tam mirabiliter sanare et remittere peccata: glorificabant Deum, quod talem potestatem dederit hominibus: multo æquius Deum glorificamus, quod dederit hominibus potestatem remittendi peccata.

VIII. Quid hoc miraculo docemur mystice? Respondetur primo, sensu allegorico. Christus ascendit in naviculam, quando in mundum veniens assumpsit naturam humanam. Quid aliud est corpus humanum nisi navicula in principio et fine, infantia inquam et senecta, angusta, id est, imbecillis, misera, cæca: in medio juventutis lata, jucunda, robusta, intelligens? Hac navicula transfretamus ad portum alterius sæculi. In hac navicula venit Christus in civitatem suam, seu mundum hunc suum, quem fecit: *In propria venit*, ait Joannes, c. I. Ibi offertur ei paralyticus sanandus, genus humanum peccato corruptum et impeditum ab usu membrorum, quibus ad cælum pergeret. Sanat Christus paralyticum sua prædicatione et passione: interim Pharisei blasphemiam eum arguunt, dum coram iudicibus eum velut blasphemum accusant et in cruce illudunt. Effectus sanationis paralytici significat effectum redemptionis humanæ secundum Hilar. Jan. VIII. in Matth. Nam vox *surge*, indicat peccatorum remissionem et reconciliationem hominis cum Deo per gratiam: *Tolle lectum tuum*, indicat corporum resurrectionem: *Vade in domum tuam*, declarat cœlestem regnum, quod vere est nostra domus et patria, ad quam creati sumus et extra quam nunc peregrinamur.

Respondetur secundo, sensu tropologico, paralyticus est peccator bonorum operum exercitio destitutus. Hic volens Christum ejusque gratiam quærere, impeditur, a turba cogitationum retrahentium, timore, pudore, amore. Immittitur per tectum, id est, per arcana sacræ Scripturæ explicata et reserata: *Ponitur*

ante Christum a portitoribus, confessariis, prædicatoribus, pastoribus. Jubetur *surgere*, cum jubetur deinceps abstinere a peccatis: *tollere lectum*, cum monetur per opera satisfactionis

castigare corpus suum et peccandi occasiones vitare: *ire in domum suam*, cum jubetur ambulare in vitæ novitate et pergere ad patriam suam cœlestem.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### QUÆNAM CIVITAS FELIX CENSENDA.

- I. Ea, in qua magistratum non licet gerere malis. —
- II. In qua reprehensio magis timetur quam lex. —
- III. In qua cætera sunt æqualia, virtuti tamen quam vitio potior conditio deferatur. —
- IV. In qua legem omnes sicut tyrannum metuunt. —
- V. In qua etiam non læsi vindicant injurias læsorum. —
- VI. In qua neque divites nimis, neque pauperes sunt cives.

#### THEMA.

*Venit in civitatem suam.* Matthæi IX.

Magna esse paret gloria et laus illius civitatis, quæ in hod. evangelio appellatur *civitas Christi*, dicente Matth. *Venit in civitatem suam*: et videtur aliquæ civitates contendere inter se de hoc honoris titulo. Bethlehemitæ volent suam esse hanc civitatem, quia Christus ibi natus est; pro quibus stat Sedulius presbyter: Nazareni reclamabant suam esse hanc urbem, quia ibi Christus educatus est; quibus patrocinatur S. Hieronymus: sed instabant Capharnaitæ, et suæ civitati gloriam hanc adscribent, quia ibi Christus diu habitavit et prædicavit, plurimaque operatus est miracula; pro quibus est Chrysostomus, et plerique alii, quibus favet Sanctus Marcus, c. II. qui paralyticum, de quo hodie, Capharnai sanatum asserit. Jam ergo dicent aliqui: O felicem civitatem, quæ Christi appellari civitas meruit! O beatos cives, quibuscum Dei Filius tamdiu habitavit! O sanctam civitatem in cælum extolendam! Sed videant hi, an satis caute hæc loquantur. Dicent enim aliqui Christo in die judicii: *Manducavimus coram te et bibimus, et in plateis nostris docuisti*, quibus respondebit: *Nescio vos unde sitis; discedite a me omnes operarii iniquitatis*, Lucæ XIII. Quin et de hac ipsa Capharnaos expresse ait Matth. XI. *Et tu Capharnaos, quæ usque ad cælum exaltata es, usque ad infernum demergaris quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem*. Non ergo civitates inde mox felices reputandæ sunt, quia Christum habent intra muros

#### IV. PARS ÆSTIVALIS.

suos, ejusque veram fidem, verbum et sacramenta, nisi habeant et virtutes a Christo edoctas, pietatem et sanctitatem; quod hic requiremus.

Convenerunt aliquando in convivio septem sapientes, uti refert Plutarchus, in convivio, quæstionem agitantem, quænam civitas seu republica esset felicissima; cui responderunt singuli bene et sapienter.

I. Respondet Pittacus: *Eam esse felicissimam civitatem seu rempublicam, in qua magistratum gerere non licet malis, sed bonis*. Huic sententiæ ad stipulatur etiam Isocrates in areopagit. oratione seu de vetere Atheniensium republica, ubi felicitatem civitatis ponit in bonis gubernatoribus. « Ecquis omnium ignorat, inquit, felicitatem, neque magnificis murorum structuris, neque civium numerosa multitudine vel quæri vel contineri, sed sapientibus ac moderatis reipubl. gubernatoribus? Est enim anima civitatis nihil aliud quam administratio illius, quæ non minor est quam in corpore anima, etc. Huic oportet et leges, et oratores, et privatos homines esse similes, et sic unumquemque agere, prout illam sit nactus. » Verissime enim Sapiens, Ecclesiastici X. versu II. ait: *Secundum iudicem populi, sic et ministri ejus: et qualis est rector civitatis, talis et inhabitantes in ea*. Eodem modo Cicero, lib. offic. *Quales in republica principes fuerint, tales erunt et cives*. Soli confertur magistratus civitatis, quia ut inter planetas sol medius emicat præ cæteris, aliasque stellas illuminat, ita et magistratus subditos. Jam ut flores et herbæ quædam ad solis motum et se convertunt; sic populares in magistratuum mores feruntur: e contra, si sol inficiatur, et stellæ, et herbæ, floresque, imo et homines pereant necesse est. Unde Apocalypsis XVI. versu VIII. dicitur: *Quartus angelus effudit phialam suam in solem, et æstuarunt et blasphemaverunt nomen Dei*. Compertum hæc in Davide rege fuit, qui cum adulterio et homicidio splendorem suum obscurasset, blasphemare fecit populum, II. Regum XII. stulte nimirum conquerentem, quod velut ignarus talem eis dedisset regem. Docet idem Ecclesiastes, capite X. versu XVI.

Væ tibi terræ, inquit, *cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt*, hoc est, voluptatibus sedant, et post ingurgitationem consilia tractant. Quod egregie etiam monet Divus Augustinus, sermone XIV. ad fratres in eremo, tomo X. « Non puer, inquit, non insensatus vobis præesse debet; sed annosus, prudens, castus, ut sal et lux mundi cunctis appareat. Talis justitiam non poterit ignorare. Tunc enim regnum Romanorum pacifice tamdiu perseveravit, quamdiu sapientes regere permiserunt: cumque justitiam ignorantes acceptores personarum facti sunt, sic justitiam perdentes, dominium orbis terrarum perdidit. » Perdidit alii populi et civitates suam etiam existimationem, propter ineptos iudices et gubernatores. Laborat adhuc fama Pistoriensis civitatis in Hetruria, Italiæ provincia, propter hominem rudem, arte pistorem, nomine Terentium, ex humili loco ad præfecturam urbis evectum; ut quemadmodum videtur, Pistorium, Italiæ Pistoia, inde appellata sit memorabili præcedenti omine, quando in ea urbe, sub hora diei tertia, spectantibus multis, asinus excelsum tribunal ascendit, atque inde rudium usque adeo compositum edidit, ut populum accurrentem alloqui, et quædam dicere velle videretur, teste Ammiano Marcellino, lib. XXVII. vaticinans suo ruditu urbem accepturam asinum pro præfecto. Laborat etiam adhuc fama quarundam civitatum, quasi fures prius in furcam agere, postea eorum causam examinare solerent, uti scribit Æn. Sylv. in descript. Europæ, cap. XX. et alii, cum tamen id forte semel tantum ab inepto quodam iudice vel rudi magistratu actum sit.

II. Cleobulus dixit eam esse felicem, et facile officium facturum: *In qua cives reprehensionem magis metuunt quam legem*. Tales enim verecundia magis et honestatis more, velut ingenuos duci indicium est, quam coactione. Oves se demonstrant, quæ uno pastoris sibilo ad gregem revocantur; non hircos aut porcos, qui clamoribus objurgari, et verberibus debent. Hujusmodi etiam subditos habere Christus in Ecclesia vult: oves scilicet, quæ vocem et sibilum ejus audiunt: non hircos, qui recta non incedunt, et in præcipitia ascendunt, grege et pastore neglecto, ac proinde pastori multas gignunt molestias, quod et magistratui faciunt subditi duræ cervicis. Unicus hircus in grege ovium plus fatigat opilionem quam centum oves: ita unus insolens homo in communitate plus affligit magistratum quam tota communitas, ut dicebat beatus Jordanes generalis ordinis Sancti Dominici, apud Surium, 13. februarii. Unus Judas Christum plus

turbavit quam omnes alii discipuli: uti videre erat in cœna facta ad Bethaniam, quando murmurans contra Magdalenam, traxit suasu aut exemplo suo in sententiam suam et alios discipulos, Joan. XII. ut indicat Divus Augustinus, libro II. de consensu evangelist. capite LXXIX. Rursum, in cœna ultima, cum ejus præsentia ad mensam eucharisticam Dominum turbavit, Joan. XIII. Nimirum hircus fuit, qui nullas magistri reprehensiones curavit.

III. Anacharsis eam laudavit: *In qua omnia æqualia habeantur; virtuti tamen potior, vitio deterior conditio deferatur*: cui consonat quod Solon alias pronuntiavit: *Illam civitatem optime habitari, in qua viros bonos affici honoribus, contra autem improbos panis, mos fuerit*: eadem fuit aliorum sapientum sententia. Lycurgus duabus rebus contineri rempublicam aiebat: *Præmio et pœna*: Socrates eam civitatem rite gubernari: *In qua invitantur boni præmiis, injusti dant pœnas*: Lysander eam rempublicam maxime probabat: *In qua fortibus viris ac meticulosis congrua utrisque redduntur*. Hinc Democrit. apud Plin. I. II. c. VII. duos tantum deos, quibus omnia regerentur, ponebat, *panam et beneficentiam*. His adstipulantur sacræ litteræ, in quibus legimus, Deut. XXVII. Moysen promulgasse per sacerdotes legem Dei inter duos montes, Garizim et Hebal, quorum ille fertilis et amœnus, hic vero sterilis et inamœnus erat; ita ut conversi primum ad montem Garizim amœnum, recitarent plurimas (ad viginti octo) benedictiones et favores iis qui legem servaturi, promissos: et rursum conversi ad Hebal inamœnum, totidem exponerent plagas et maledictiones, prævaricatoribus legis decretas. Nimirum efficacior ratio ad inculeandas populo leges non est, quam *præmium et pœna*, quod etiam in brutis animantibus observari dixit Xenophon, in œconom. quæ duabus rebus adduci ad obtemperandum dixit, scilicet delinimento, si sit generosius, ut equus; et plagis, si sit contumacius aut hebetius, ut asinus: ita homines duri et viles pœnis, generosi præmiis ad officium incitandi sunt: *Nihil enim non*, ait Livius, dec. I. I. IV. *aggressuri sunt homines, si magna conantibus magna præmia proponantur*. Vicissim ubi nulla meritorum et demeritorum ratio habetur, nemo est, qui ad præclara opera manum admovere velit: ubi eadem merces datur vomenti in plateas, et purganti eas.

IV. Bias dixit eum popularem reipublicæ statum esse optimum: *In quo legem universi tamquam tyrannum metuunt*. Convenit hoc cum eo, quod scribit Moyses, Deut. XXXIII. *In dextera Dei ignea lex*, quia scilicet cum ignibus et terrore data fuit

velut tyrannus et vindex transgressorum; quod idem Solon dixit, eam civitatem optime gubernari, adeoque felicem esse, in qua cives magistratus legibus obediunt. Justum est ut subditi legibus, quæ sunt quasi mœnia (uti Heraclitus) et quasi medicus in civitate (uti dixit Philo, lib. de Josepho), necnon magistratui, qui est animata quædam lex, obediant; sed et magistratus Dei se subjicere legibus, imo et suis debet, si ad nutum sibi obtemperantes optat habere cives. Iniquum enim est alteri prohibere quod ipse non vitas, vel a subdito exigere quod ipse nolis præstare. Qua in re fœde deliquit Saul; qui postquam magos et ariolos de terra Israel abstulerat, ipse Pythonissam adiit, ut ejus opera Samuel suscitatus futura sibi nuntiaret, I. Reg. XXVIII. necnon Jehu rex, qui occidit idololatrias et edicto prohibuit, postea manus supplices ad vitulos aureos extendit, IV. Reg. X. Hujus farinae etiam fuit Sibarita ille pædagogus, qui: *Cum puer, quem ducebat, per viam in ficum incidisset et sustulisset, vehementissime eum objurgavit: ipse vero ridicule raptus, quod inventum erat devoravit*, uti scribit Elianus, I. XIV. var. hist. c. XX. Nec aliter iudex ille paganus, qui cum vicinus ei nuntiasset, taurum suum insillisse in hortum ejus, et prostravisse ejus vaccam, pretium vaccæ a vicino mox exegit: at cum vicinus lapsum lingue causatus, suam vaccam ab ipsius tauro occisam diceret, pretium ei iudex negavit: *Hanc esse aliam rem* asserens, teste Gilb. cognat. I. I. narrat. Non ita Samuel ille Hebræorum iudex, qui, abdicato munere, seipsum populi iudicio submitit, satis facturum omnibus, si quem læsisset aut gravasset, aut munera ad pervertendum iudicium a quoquam accepisset, I. Reg. XII. Qui et obediens, provincias tres potissimum elegit civitates; in quibus causas audiret et jus diceret: *Bethel, Masphat et Galgalam*, I. Reg. VII. *Bethel*, h. e. *domum Dei*, ut non suam, sed Dei personam agere se nosset, ipsius quasi œconomus: *Masphat*, h. e. *speculam*, ut in subditorum mores et causas sedula speculatione inquireret: *Galgalam*, h. e. *rotam seu revolutionem* ut hoc ipsum jus, quod aliis dicere soleret, ad seipsum revolveret; iisdem legibus utens, quibus alios ligaret.

Affine est Biantis responso, quod adjecit Chilo, asserens eam rempublicam fore felicem: *In qua maxime leges, minime oratores audiuntur*, requirens tales iudices, qui non ad speciosam causarum actionem, sed ad justam attendant.

V. Solon felicissimam dixit rempublicam: *In qua injuria auctorem non minus læsi, quam qui læsus est, in jus rapiunt et puniunt*. Idem cecinit

Menander, quibus consonat apost. doctrina, ad Phil. II. *Per viscera misericordiæ eos rogantis: Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, etc. non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed quæ aliorum*. Id quod duobus modis intelligi potest: primo, in sensu colectivo, ut tam aliorum, h. e. totius communitatis commoda quæramus, vel incommoda vertamus, quam propria. Quod sane æquissimum et reipublicæ necessarium est, si stare diu et beata esse cupiat. Quid enim prodest uni in privato domus angulo bene habere, deliciari, abundare; si totius domus imminentem ruinam non avertit? Nonne ipsa corrumpente, et ipse ruet vel opprimetur? Unde Cæsar, in orat. ad suos legat. « Privatum quidem, inquit, nemo omnium ita potest lætis rebus uti, ut non idem cum reipublica corrumpente pereat: at respublica, si prospero successu utatur, etiam privatorum omnium potest calamitates sublevare: » et Salvian. I. III. de providentia: « Quæ, rogo, insania est, et quæ cæcitas, ut egestuosa et mendicante republica divitias posse credant stare privatas? » Sane, Job cum in calamitate positus sui oblitus, oravit pro amicis suis, licet infensis, inde a Deo ereptus est et recepit omnia duplicia, uti insinuat cap. XLIII. libri Job: *Dominus quoque conversus est ad penitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis*. E contra Jonas, quando contra vaticinium suum vidit Deum parcere civitati Ninive; ideoque ruituram existimationem suam, tamquam vanus vates fuisset, grande periculum subversionis suæ adiit: *Quoniam propriam utilitatem quæsit*, inquit D. Chrysost. hom. LXXIX. ad pop. *et periclitatus est et civitas quidem stabat, ipse vero submergebatur*.

Secundo, distributive, ut non tam propria, quam aliena etiam singulorum commoda vel incommoda in rebus temporalibus spectemus, quod quidem non præcepti, sed consilii et charitatis est. Felix ea civitas, quæ tales habet incolas. Sensit id Romana, quamdiu Valens et Valentinianus fratres ita inter se divisum gerebant imperium, ut uterque collegæ nomine magis quam suo gauderet, subditis hinc inde lætitia affluentibus, ut ait Themistius, orat. IX. Docuit hoc etiam Dominus noster, quando dæmones: *Tu es Filius Dei*, clamantes, a sui laude et manifestatione compescuit: *Ne ejusmodi vociferatione Scribarum et Phariseorum iram magis excitarent, eorumque invidiam vehementius accenderent*, inquit Victor Antiochenus, Mar. III. Fecit hoc et Moyses, qui fratrum injurias velut suas sensit, Exod. cap. II.

VI. Thales eam civitatem prædicavit felicem: *In qua neque divites nimis, neque pauperes sint*

cives. Convenit et hoc cum voto Salomonis, qui Prov. XXX. duo a Deo postulavit: *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam: Quis est Dominus? Aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei.* Quibus verbis periculum utriusque extremi indicat. Divitiæ enim intumescere faciunt hominem, et contemnere non modo homines pauperiores, sed et ipsum Deum; cum in suis operibus, velut in Deo quodam omnipotenti, stulte confidant, juxta id Os. XII. *Dives effectus sum, inveni idolum mihi.* Aves, quo plus plumarum habent, eo plus in altum evolant, ut patet in aquilis et accipitribus. Divitiæ tales plumæ sunt, unde Ezech. XVII. vocatur superbus ille Nabuchodonosor, qui se ob divitias et pompam sum contra Deum extulit: *Aquila grandis magnarum alarum, plena plumis et varietate.* Atque hinc apostolus, I. Timoth. VI. mandat Timotheo: *Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublimè sapere, nec sperare in incerto divitiarum. Nam sicut vermis pomo, ita divitiis superbia innascitur,* ait S. Anselmus: et S. August. serm. V. de verb. Dom. *Omne pomum habet suum vermem, etc. Vermis divitiarum superbia est.* Hinc etiam alterum oritur malum reipublicæ maxime noxium, quod idem Salomon, Prov. XIII. ait: *Inter superbos semper jurgia sunt,* quia ut S. Augustinus, ep. CXX. ad Honoratum ait: *Superbia odit omne consortium.* Justi et sancti viri fuere Abraham et Loth: quia tamen prædivites erant, cohabitare simul non poterant, orto inter servos eorum jurgio, in ipsos etiam dominos facile derivando, Genes. XIII. unde Plato, l. III. de legibus: « In quocumque, inquit, hominum cœtu nec inopiæ nec divitiæ sunt, huic justissimi mores aderunt: neque enim ibi contumelia aut injuria locum habet. » Exemplo est Spartana civitas, a qua Lycurgus sustulit opes et inopiam; et quamdiu civium suorum oculos a contemplandis Asiæ deliciis et fastu retraxit, tamdiu felix fuit: infelix esse cepit, ubi opes et delicias admisit, Val. Max. l. II. c. I.

Vicissim nimia paupertas civium suas etiam habet difficultates. Compellit enim (ut advertit Salomon) quodammodo ad furta, et inde consequentia perjuria, quibus furta teguntur. Hinc Seneca paupertatem appellat *furti matrem*; et docet experientia fere pauperes tantum ad patibula duci, qui urgente egestate ad furta et latrocinia sese converterunt.

Hæ sunt sapientium, licet gentilium, sana et salutaria placita, rectæ rationi et sacris etiam litteris admodum conformia; quæ si observarent cives, ne illi gloriari possent de felici statu suæ

civitatis, magis quam Capharnaum, solo Christi inhabitantis titulo. Quid enim profuit, talem ac tantum habere civem, si non audiit monentem? Quid profuit aliquando ad cœlum usque exaltatam fuisse, si inde demersa est usque ad infernum? Pari ratione quid emolumenti civitati nostræ accedet, si habeat speciosa templa, multa monasteria et religiosos, multas conciones, multa eruditorum consilia, etc. si Christum non imitetur? Si audiat bona, et agat pessima? Videat pietatem, sed non sectetur? *Beatus populus, non cujus Dominus inhabitator, sed cujus Dominus Deus ejus,* Ps. CXLIII.

## CONCIO II.

BONÆ CIVITATIS REQUISITA.

I. Horologium regulatum: fides catholica. — II. Ædes sacra: pietas et devotio. — III. Schola: verbi Dei audiendi aviditas. — IV. Forum: mutua charitas et auxilium. — V. Curia: observantia legum et justitiæ.

## THEMA

Venit in civitatem suam. Matth. IX.

Non est exigua laus Capharnaitarum, quod ipsorum civitas vocetur *civitas Christi*, ex eo quod in ipsa Christus inhabitare, teste Matth. c. IV. uti et hod. miraculum patrare, teste D. Marco, cap. II. dignatus sit. Sed hinc multo magis crescit laus Capharnaitarum, quod præ cæteris ipsi Christum magno in honore apud se habuerint, ac velut patrem suum coluerint, quem admodum colligimus ex evangelio. Gloriantur aliæ civitates ædificiis, aliæ decore, aliæ munitione, aliæ sede principis, nobilitate aliæ. Sed parva sunt ista, nisi etiam sint et dici possint *civitates Christi*. Civitas nostra Græcium gloriari multis prærogativis potest, quod Styriæ metropolis, sedes Austriacorum archiducum, munita fortalio, ornata magna nobilitate, condecorata academia; sed parva hæc omnia erunt, nisi simul sit et appellari queat *civitas Christi*. Quare videndum restat, ut investigemus quid ad hoc requiri possit, ut talis esse et dici queat. Quod nunc moliamur. Sapienter quidam auctor politicus dixit: *Quinque res declarant civitatem bene aut male habere: Ædes precum, curia, schola, forum, horologium.* Sed hæc ille politice ad ornatum civitatis politicum requirit. Nos hæc ipsa mystice ad spiritualem ornatum derivabimus.

I. Horologium regulatum condecorat civitatem. Unde Carolus V. imperator urbes ingrediens, horologium aspiceret solebat, et inde ci-

vium mores colligere, num ad honestatis normam essent compositi. Multum etiam confert civitati horologium justum, ut patet. Hoc vero mystice fidem notat: quemadmodum enim horologium regit actiones hominum, monet quando surgendum, studendum, laborandum, edendum, etc. sic fides dirigit actiones Christianorum. Rursus, sicut horologium constare omnibus suis partibus debet, ita ut si vel unicus lens rotæ desit, totum horologium fallat: sic etiam fides omnes articulos fidei ab Ecclesia propositos complectitur; et si vel unum rejicias, tota fides cadit. Porro horologium civitatis, primo, decet esse unicum, idque justum, vel si plura sunt, omnia concordare; alioquin in civitate magna fiet confusio. Nescient liberi quando surgere, et ad scholam ire; servi quando pecora ad pastum exigere; ancillæ quando cibos parare; operarii, quando ad labores ire debeant. Sic decet in civitate unam esse fidem, eamque rectam, alioquin magna erit animorum confusio, dissensio, diffidentia; nec convenient Jacob et Esau in eodem matris utero, sed colluctabuntur inter se; quia ut S. Hier. in c. X. Matth. ait: *Nullus est inter eos affectus fides, quorum diversa est fides.* Porro unam fuisse fidem Capharnaitarum, qui portarunt ægrum, indicat Matthæus cum ait: *Videns fidem illorum, fidem inquam, non fides.* Rectam fuisse convincit approbatio Christi. Secundo, decet horologium sonare simul et indicare horas, ut ab eis audiat, a quibus videri nequit. Ita fidem oportet esse non speculativam tantum et mortuam, sed practicam, vivam, operantem per charitatem: ita ut vita et mors Christianorum consonent cum fide eorum. Et talis etiam elucet in Capharnaitis, quia non solum credebant ægrum a Christo sanandum, sed etiam gestarunt ad Salvatorem magna charitate: unde dicitur: *Videns fidem illorum.* Videri debet fides operans, videlicet per charitatem, non latere solum in corde, juxta id Sancti Jacobi II. *Ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.*

II. Ædes sacra, si augusta, ornata, munda sit. Indicat enim pium ac devotum esse civitatis populum. Quare Carolus V. imperator civitates peragrans, solebat respicere post horologium, etiam templum et plateas, indeque colligebat, quales essent cives. Mystice, templum pietatem ac devotionem civium notat, maximum illorum decus. Et hoc habuisse etiam Capharnaitas, indicat Matthæus ad finem evangelii illis verbis: *Videntes autem turbæ timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit talem potestatem hominibus.* Primo,

timuerunt, tum quia viderunt suas etiam cogitationes Christo perspectas fuisse, et ab eo deprehensas, adeoque ipsum esse cardiognosten; tum quia audierunt eum summa et divina potestate peccata remittere; tum quia cognoverunt esse vitæ et mortis dominum, qui uti mox ægros sanare, ita sanos utique multo facilius frangere mox et necare posset. Et hæc ipsa sunt, quæ Dei timorem et reverentiam in nobis excitare debent, quia omnia videt, omnia potest. Excitavit hæc cogitatio in civibus urbis Sichar non fidem solum in Christum, sed etiam magnam reverentiam atque amorem, ita ut in civitatem suam ipsum cum honore introducerent, secumque retinere cuperent, quia audierunt mentis arcana concivi suæ Photinæ omnia revelasse, Joan. IV. Hæc ergo beata civitas erit, quæ Deum semper præ oculis habet, et Christum desiderat. Luna tamdiu splendet, quamdiu solem aspicit; ubi interjecta terra eum aspiceret desinit, tum obscuratur; ita civitas florebit, quamdiu Deum præ oculis habebit: deflorescet, cum non habebit. Secundo, glorificaverunt Deum, qui per Christum sustulit ægritudinem corporis et animi pariter in paralytico. Beata erit et civitas, quæ agnoscit prædicatque Dei beneficia, et in specie quod habeat Dei servos, qui potestatem acceperunt a Deo sanandi hominum ægritudines spirituales. Paralytici sunt peccatores, qui ne unum quidem gressum suis præcise viribus facere ad cœlum possunt. Sacerdotes potestatem, qua eos sanent, habent. Hi sunt stabularii illi, quos constituit Dominus in parabola Samaritani, ut curam ægrorum haberent; quibus etiam ad hoc agendum contulit binos denarios, spiritualia et corporalia subsidia, ne succumbant oneri: *Quam bonus Israel Deus!*

III. Schola. Plurimum etiam commodi confert civitati schola bene constituta. Nos per eam hic intelligimus prædicationem verbi Dei: ibi schola nostra est, quæ si a civibus frequentetur, maxima eis bona afferet. Frequentarunt certe Capharnaitæ qui imprimis avide expectabant adventantem Christum, teste Luc. VIII. *Erant omnes expectantes eum, reducens scilicet ex mari; deinde, ubi intravit civitatem et domum, convenerunt ad eum multi (Græce habetur: Statim congregati sunt) ita ut non caperet ad januam, et loquebatur eis verbum,* Marc. II. Quod etiam inde patet, quia præ multitudine populi non poterat inferri æger in domum, nisi per tegulas. Civitas ergo Christi erit, quæ avide Dei verbum esurit et audit, teste Domino, Joannis VIII. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ratio est, quia qui cœli cives